

1525
 undi praelii Regi fuerat ; Scudus Lautrechii frater ; Jacobus-
 que Cabaneus equitum Magistri , *Marescalli* a Gallis voca-
 ti , aliique summi nominis viri . Regis fortunam reliqui fere
 duces subiere . Hic eventus Ticinensis pugnae fuit , qui sicuti
 non minus Regi , totique Galliae , quam Italiae luctuosus fuit ,
 quae acriores bellorum tempestates inde perpeffa est ; ita Cae-
 sarem , ejusque Duces e gravissimis periculis ereptos ingenti
 gloria , ac laetitia cumulavit , tantumque praedae e totius exerci-
 tus , castrorumque direptione , e manubiis , captivisque acces-
 sit , ut exantlatos labores , ac pericula opulentissima merce-
 de supra vota compensarint . Atque in eodem die deletae
 Gallorum copiae , rex captus , Mediolanense imperium a Cae-
 sare recuperatum est .

Finis Libri Primi.